B. N. C
FIRENZE
1049
2



1049.2

Digitized by Google

B

XXVII

EREMIT

1049. 2

DANIELIS EREMITÆ BELGÆ

PANEGYRICVS

COSMO MEDICES FER. FIL.

Magno Hetruriæ Principi dictus, cum fauſtiſsimo omine

D. MARIAE MAGDALENAE, Auſtriacę, Car: F: Auguſtę, nuptiarum ſacris initiaretur.

SIMVL ET  SEMPER

FLORENTIAE,

Apud Michaelangelum Sermartellium.

MDCVIII.

Cum Priuilegio.

FLORENTINAE BIBLIOTECAE
BIBLIOTECA NAZIONALE 1872

A.

EPIGRAMMA.

Dum tua Regali properantur gaudia cenſu;
Aureaque in Titulis ſcribere geſta iuuat.
Hac quoque ſpectato, Princeps, admitte triumpho,
Et decorent Laurus Gnoſſia ſerta tuas.
Magna loquor, fateor: ſed & hoc tibi debeo; quod dū
Magna geris, poſſum non niſi magna loqui.
Vera tamen: mirumque eſt hoc te Principe: quod dum
Dicere cuncta licet, non niſi vera licet.

D. Eremita

1049.2

INVICTO

FERDINANDO MEDICES MAGNO HETRVRIAE DVCI.

DANIEL EREMITA. S. D.

EGREGIA tua non tantum in Rempub. AVGVSTE PRINCEPS *ſed in vniuerſum Chriſtiani nominis orbem, merita, etſi tanta ſunt, vt cum longè admirationis omnis prædicationiſque terminos exceſſerint, non potuerint niſi nominis tui æternitate compenſari: nihil tamen tibi ad gloriam illuſtrius, ad ſalutem ciuibus optatius præſtare potuiſti, quam quod conſimiles tibi liberos, quibus virtutum tuarum, ſic vt Imperii hæreditatem legitimis tabulis adeundam relinqueres, ex te genueris; quorum ſucceſſione non tantum continuatam tui principatus ſeriem,*

ſed & non degeneri virtutum imitamento, fama tua, rerumque geſtarum memoriam videbis in æterna ſecula propagatam. Nullum enim munimentum ſecurius Imperanti, parenti optabilius, quam multi domus principalis liberi. Vtroque tu, Magne princeps, ad miraculum excellis, & quod egregios habeas, & quod multos. In quo tamen nequid fortuitum aut non a prudentia tua & magnanimitate profectum videatur, auguſtas tuas & ſublimes deliberationes in tantum promouiſti, vt iam non in te magnitudinem, ſed te in magnitudine tua admiremur: quippe qui armorum immenſam gloriam, victoriarumque tuarum inſignia regiis quoque affinitatibus volueris decorari; Neptemque tuam potentiſſimo GALLIARVM REGI *in tanti regni ſubſidium vxorem miſiſti. Quod ſane faſtigium cum nos humilium noſtrarum cogitationum vitio extremum eſſe & altiſſimum opinaremur, ecce iam preſenti connubio quod cum* IMPERATORIA *domo pro filio iniſti, didicit terrarum orbis, quanto te maiorem omnibus eſſe conueniebat, cuius res geſtas nos nec voto, nec ſpe, ac*

ne

ne cogitatione quidem æquaremus. Quæ cum longè te lateque magnum principem oſtentant, digna ſane ſunt quæ prædicentur ab omnibus, ſed a me ante omnes; cui tam præclarè facta ſilere, impudentis; parcè laudare, ingrati eſſet: cum ad nullum eorum officiorum genera magis quam ad me pertineant, quem non obſequium aliquod, aut diuturna ſeruitus, ſed continuata erga me citrà vllius meriti rationem beneficiorum ſeries veſtrum fecere. Accipies ergo MAGNE DVX, *tenuem hanc faturam ingenii mei; Sed quomodò autorem ipſum accepiſti: quæ certè dubitare non poſſum, quin placeat, cum ipſe placuerim. Nec vero meditata in ætatem oratione quæſiui, quomodo falſis laudibus virtutes veſtras adumbrarem; etenim cum per ſe conſpicuæ propter omnium oculos eant, magis me virium mearum, quam veſtræ magnitudinis par erat habere rationem. Etſi ſcio haut defuturos qui diligentiam requirant meam, quod ſciant Iſocratem, magnum alioquin virum, decennium vna in oratione conſumſiſſe: quibus abunde erit ſatiſfactum ſi hæc non oſtentationi mihi ſed grati*

animi

animi ſignificationi ſcripta cognouerint. Alias erit locus iunctim res familiæ veſtræ exactiori diligentia & feliciori ſtilo exarandi: vbi tam me copia rerum eloquentem faciet, quam hic lætitia publica gaudentem. Interim hæc velut arrhaboni tam æquo accipies animo, quam ſcripta ſunt prono: & ſicubi in laudum veſtrarum magnitudine diſpar eloquendi facultas deficiet, ſcies, tantopere res veſtras omnem eloquentiam anteceſſiſſe, vt qui eas pro merito velit celebrare dicendo, vobis eſſe ſimilem oporteat faciendo. Mihi ſatis erit hoc ſcripto me, etſi non eloquentem, ſaltem oſtendiſſe non ingratum. Vale, & Viue, tibi, ciuibus, reipub.

FLORENTIAE HETRVRIAE TVAE EID. OCTOB. MDCVIII.

DANIELIS EREMITAE BELGAE

PANEGYRICVS

COSMO MEDICES FER. FIL.

Magno Hetruriæ Principi dictus, cum fauſtiſsimo omine

D. MARIAE MAGDALENAE

Auſtriacæ: Car: F: Auguſtæ, connubio iungeretur.

PRAECLARE olim a maioribus inſtitutum fuit, vt facta quęque principum, quæ tacito quiſque gaudii votorumque conſenſu excipiebat, ea quoque gratiarum actio aliqua velut publicę lætitiæ teſtimonio ſequeretur: Laudare quippe omnia principum, non obſequii tantum, ſed & è bono publico putabatur; vt boni quidem vero virtutum ſuarum præconio gauderent, mali diſſimilitudine exemplorum deterrerentur. Ea etſi intermiſſa longo deficientis ac ſeneſcentis pæne ſeculi interuallo conſuetudo decreuit, quando tamen aut vbi fuerat conuenientius excitari, quam cum benignitate magnorum Principum, terris ſuis quibus exulabant virtutes reductæ ſunt; aut vbi quicquid olim laudatum præclarumque fuit, denuo ad priſtinũ

ſplendorem

ſplendorem,gratiamq; reuocatur? Mihi vero cur tacentibus omnibus hoc non dico oneris ſed honoris ſumſerim,facile erit ęſtimare:cum ad agendas Optimo Principi gratias primus eſſe debeat is, qui primus fuit in accipiendis. Nec vero expectandum mihi fuit vt iuberer, cum beneficia Princeps, non rogatus, aut iuſſus, ſed ſponte detulerit: eoque ipſo magis ad dicendum impulſus ſum,quod nullus impulerit; nec enim voluntati veſtræ dediſſe hæc videri poſſum, qui dederim veritati: Verè autem proferre omnia libebit, vbi omnia licēt. Quid enim neceſſe ſit fictis adulationibus magnitudini veſtræ iniuriā,aut meæ orationi argumentorum copiam facere, cum nec fama vobis vſpiam nec laudes mentiantur? tantumque oratio mea moderationi veſtræ modeſtięq; ſubmittenda, vt non quantum dici a nobis poſſit videndum ſit, ſed quantum vos velitis audire. Alii accerſitis laudibus ſuccurrant inopiæ nominis eorum quos extollunt, & paupertatem generis aliquo magnifici coloris fuco adumbrent; Non expectat alienum & emendicatum honorem magnitudo nominis veſtri; & mihi ad dicendum tam multa ſuppeditant, magis vti verear ne pauca pro re quam multa dixero. Nec tamen velim exiſtimari me ex oratione mea; maiora concepi quam exprimere poſſim; maiores virtutes veſtrę, quam vt dignè concipi queant. Saltem quod potero, ſatisfaciam gaudio meo, & fauſtiſſimis populi acclamationibus mea quoque voce ſubſcribam; tenui ſane, & nequaquam pro magnitudine præſentis lętitię; Sed & Dii non tam accuratas ſupplicum preces quam innocentiam ſpectant; & gratum acceptumque farre & mola, quam incenſis & thure litaſſe. Quanquam vero inopinatum illum noui

Solis

Solis fulgorem tanto omnium animos menteſque gaudio video perfudiſſe, vt naturam quiſque ſuam exceſſerit in congratulando; in nullo tamen alio potentior fuit hic affectus quam in me, quem etiam pæne fecit (audebo enim dicere) eloquentem. Dicam ergo, ſed ita, vt hæc potius omnes, quam me, & veſtra magis facta quam meas laudes loqui exiſtimetis. Concurrit ad publicam hanc lætitiam vicinus orbis, & velut concentu quodam omnes, collatis gaudiis hanc magnorum ſyderum coniunctionem non obſcurè venerantur. Quid enim orbi noſtro accidere ad gloriam illuſtrius, quid ad ſalutem certius potuit, quam coniungi validiſſimas, piiſſimaſque Chriſtiani orbis domos? quid aut ſperari magnificentius his, aut illis eligi optatius poterat, quam nobiliſſimam potentiſſimamque familiam, cum bellicoſiſſima domo coniungi? Hinc Auſtriç præclarum ſydus, hinc Italici luminis ſplendorem, velut illuſtrando pariter orbi, feſſiſque rebus ſubueniendo, exorata tandem terris numina paſſa coniungi. Deeſſe adhuc aliquid Germaniæ videbatur, niſi videret Lunam ſuam cum hoc Sole ſociari. Non erat Italiæ ſatis ſplendoris, niſi trans Alpes accerſita hæc lux ſpes quoque omnium & vota viciſſet. Macte, Macte animo COSME, qui per tam illuſtria primordia vadum futuræ tuæ & nulli vnquam imitandç gloriæ tentaſti; qui auſpicato felicitatis aleam expertu rus, tam ſecundæ ſortis auſpicia explicuiſti. Erat ſane haut parum tibi, venerandam maiorum tuorum ſeriem oſtentare; prçferre tot illuſtrium titulos, quorum nullus tam obſcura rerum geſtarum fama, vt non incipere ex ſe nobilitatem potuiſſet; numerare auos ataúoſque, & cum ſingulis ſingulares victorias,

quibus vtique tam promptum debellare armis alieno quam ſuos laude ſuperare; nec dignos ſe familia ſua putabant, niſi ęternitatem nominis per glorioſiſſima facta aſſequerentur: hinc eſt quod annales omnes ſuis victoriis, ora omnium laudibus, orbem terrarum admiratione impleuerunt; & MEDICAEI nominis fama iam non Italiæ ſuę montibus, non ambientis maris clauſtris, ſed Solis ambitu terminatur. Quid enim non admirandum ſit in illa domo, vbi non viri tantum quod illis proprium erat, Sed & fœminę quibus manu præclara gerendi laus verecundia negabatur, etiam ſupra ſexus ſui ſpem vireſque, familię ſuæ ſummi faſtigij titulos intulerunt, & Regio nomine familiam cui ad id honoris nihil pręter nomen deerat, decorarunt. Illuſtria tibi proculdubio hęc, ſed non tua; tua enim dici non vis quę acceperis, ſed quæ dederis: nec ſumere famam a maioribus niteris, ſed illis addere. Ergo quod per ętatem poteras abunde iam pręſtitiſti: AVSTRIACAE domus dignitatem adiunxiſti tuæ: non quidem prior, ſed magnificentius: Parum erat habere Auſtriacam, niſi eandem neptem IMPERATORIS; nec hoc ſuffecit, potentiſſimi & inuictiſſimi MONARCHAE affinem; nec hoc quidem ſatis, talem voluiſti cui par alia nuſquam niſi ipſa eſt. Quid iam vltra accedere ad magnitudinē poteſt? Mirabamur ſane antea bellicoſiſſimam domū, tot victoriis, tot triumphis illuſtrem; ſuſpiciebamus potentiſſimę ditionis, & totius Italiæ feliciſſimi ſoli dominam; vnoque Imperio comprehenſam ocellum illum orbis FLORENTIAM, gemmamque vrbium SENAS, & lato circum ſpatio excurrentem HETRVRIAM in MAGNI cognomento ſtupebamus. & quid mirum? vni huic familiæ is ho-

nos

nos reſeruabatur: Tutata Florẽtia libertatem quoad hæc domus tutrix adoleſceret, in cuius tandem ſinu curas ſuas omnes præſidioq; deponeret: noluit principem vnquam admittere, ne alium haberet quam ſuum: diſtulit quoque veſtrum tolerare, vt beneficium magis accepiſſe videretur, quam dediſſe. Ampliſſima & æmeniſſima Senarum ciuitas ipſa loquatur quantum debeat Imperio veſtro: fruſtra ſuis conuulſa armis, nec proprium admittebat, nec alienum: vna hæc MEDICAEORVM familia inuenta eſt, cui parere cũ deberet, etiam vellet & felicitatem ſuam tum demum vidit cum vidit principem. O beatam totius Hetruriç ſortem, quæ per ætatẽ tot inteſtinis aucta calamitatibus, non potuit niſi ſub hoc ſolo coaleſcere? Inuenerant ſuam Florentia Senæque principem; nec vt putabatur niſi ſibi ſolis: Sed ad quanto illos maiora Deus reſeruarat? Tota ſe vltro Hetruria ſubmiſit: & vt plura ſe quam obtinuiſſent; mereri oſtenderent, maria quoque innatanteſque inſulas ſub Imperium acceperunt. Subiacent ergo hæc omnia vni huic familiæ, & nobiliſſima orbis pars paret, maior agnoſcit, omnis veneratur: Dignam eam putauit fortiſſimus Galliarum Rex à qua vxorem ſibi, regno reginam, ciuibus matrem, hoſtibus metum quæreret. & parum videbatur ſemel feciſſe; nuper quoque, vt omnino conſilio factum putetur. idem iteratum eſt: & feliciſsimus huius ætatis Rex vt ſupremus fçlicitati cumulus accederet noluit ex alia quam ex hæc ſplendidiſſima domo fæcundiſsimam ſibi legere vxorem. Et vos in alienas familias fæminas veſtras in ſubſidium miſiſtis; in veſtram ad magnitudinis augmentum non vulgares recepiſtis. Venerunt Auſtriacæ cum Imperatoribus, cum Regibus ſuis: aſſini-

 tatem

tatem Arragoniæ Regum Toletana: & expugnatæ quondam Sanctæ vrbis laudem Lotharingia intulit; nullaq; in connubium vnquam recepta eſt, cui non eſſet quo mereretur. Tibi ſupra cæteros hoc quoque præſtatur, quod affinem potentiſsimi quotquot vnquam fuerunt Monarchæ, (cuius tam latè patent Imperia, vt ſolem nunquam videant occidentem) in domum tuam deduxeris: Etſi ſane nec ille meliori dare poterat, nec tu a maiori accipere: fatendum tamen eſt, illud vt ſupra humanę imbecillitatis fidem, ſic a diuina ſempiterni illius numinis voluntate profectum, quæ antiquæ veſtræ pietatis ac religionis exempla voluerit abſolutę fecilitatis premiis compenſari, eoque & dedit quo vos maxima quæq; mereremini, & quo obtineretis. Quid enim tibi, Sereniſſime Princeps, iam nō liceat ſperare, quem ad recipienda omnia ſummæ fortunæ munera natura vberrimo ſue benignitatis prouentu ditauit: tantumque ad miraculum omni virtutum genere ornauit vt, qui imbecillium noſtrarum cogitationum defectū, penetrare ad internam earum conſiderationem nequimus; ſatis habeamus ad externas ſpecies quibus aliæ illæ non obſcurè repræſentantur, obſtupeſcere: Illa enim ſublimis oculorum maieſtas, ſupercilii neutiquam demiſſi gratia, frons Auguſta & plane Celſitudini tuæ par, ac per totum ſe vultum porrigens coloris ac niuis nitor, produnt abſtruſum illum tuæ maieſtatis ſplendorē, quem tu tam prudenter abſcondis ne videaris oſtentare. At dum humilis videri vis, Deus bonè, quāto altitudo elucet manifeſtius dum premitur? Egregia vero indoles, talem eſſe, nec agnoſcere: ſuperiorem veneratione omnibus, affectu parem; ſublimiorem dignitate cuiuis, nulli non voluntate inferiorem. Sic concinniſsimo virtutum temperamento

peramento hoc aſſequeris, vt in maieſtate tua humanitatem omnes admirentur; in humanitate maieſtatem ſuſpiciant, nec vtram plus laudent incertum ſit, cum vtraque propria tibi, ſed neutra ſine altero: adeo prudenti moderatione, an naturæ indole diuerſiſsimas virtutes coniunxiſti; vt cum te in illa animi altitudine quiſque amet, in familiaritate tamen etiam veneretur; & hoc ipſo quo veneratur amat. Beatum vero Patrem qui te talem ſuſceperit, beatiorem matrem quæ pepererit; quæ cum multis virtutibus ac fæcunditate mirabili laudabilis, nihil facere præclarius potuit quam quod te talem genuerit. Alius certe naſci ab illo, alius ab illa non poteras, nec talis niſi ab vtroque. In te patris prima ſeſe iuuenta transfudit, in tuo ore cæleſtes illius vultus natura ſignauit: Tu matris decorum, tu frontis inſigne decus pari vultus continentia exprimis: & iure ſibi Pater gratulatur cum videt potiſsimam ſuarum virtutum effigiem inſculptam fronti tuæ reliquiſſe: & mater ſe laudat quodtam eximias virtutes ſuas in te neutiquam diſpari admiratione traduxit. O vnica abſolutiſſimæ virtutis effigies? talis eſſe proculdubio debuit quem tanta felicitas ſequeretur. Quis aſpexit te vnquam, qui non in te virtutes omnes eodem obtutu viderit? quis vultum tuum ſuſpiciens non dimiſit ſuum? Aut cuius vnquam frontem tuę ſplendor non indicenti rubore ſuffuderat, quem non idem erexerit, non raſ ſerenarit? Quis vidit te vnquam qui non ſubito amarit? quis amauit qui non eodem momento amaretur? Voluiſti paria cum tuis facere; & præfuturum te hominibus noras, ſed hominem. & vt ciues quoque tuos ad ſpõtaneã obedientiã inuitares, ciuis eſſe voluiſti; dũ que princeps cum tuis ciuiliter, ciues cum principe

agunt

agunt humiliter. Præclarus vero fructus humanitatis tuæ, cum hoc benignitate aſſequeris, vt primus non tantum loco, & factis, ſed & in animis hominum amore & beneuolentia ſis. Sic firmatur tutius imperium; non imperando, ſed ducendo: ſic munitur ſine munimento: pręeuntem enim principem ſequimur libentius quam trahentem. Quis iam non auguratur qualis mox futurus ſis princeps, qui talis ſis ante principatum? non tibi diuturnitas in ſuperbiam, non magnitudo in crudelitatem, non felicitas in inſolentiam vertet. diſsimilis eſſe tibi ipſi non poteris, & diſſentire finis tam præclaro primordio nequibit. Fuant Nerones illi qui firmando Imperio ſimulatæ ſub initia probitatis, mox in flagitiorum omnium & deteſtandæ ſęuitię licentiam proruperunt: virtutes enim non erant quas tales ſimulabant, ſed diſsimulabant vitia. Tu quam veræ te virtutes decorent, nullo magis docuiſti quam quod ſimulationem oderis: præbes te integrum omnibus, & aſpici non ora tantum, & illam reconditam vultus maieſtatem, ſed intimas animi cogitationes vis: Talem te tua ſecreta, qualem publica oſtendunt; nec alius cum tuis quam tecum es. Propria hęc familiæ veſtræ virtus eſt, ſed ita vt & illa maieſtatem tueatur: nulli vnquam veſtrum ſeueritas hilaritatem imminuit, non grauitati ſimplicitas detraxit; non amor timorem ſuſtulit; ſed velut diuina quadam virtutum concordia ac concentu, benignitatem grauitas, grauitatem benignitas conciliauit. Vobis autem factum quod dictum Imperatori illi legimus. *Nefas quemquam a ſermone Principis triſtem diſcedere:* quis abiecit ſe vnquam ſupplex ad pedes veſtros, qui non affatu & ſpe, ſic vt manu erectus ſit? quis ſperauit, qui non ſtatim obtinuerit? quis obtinuit qui non plura quam ex

pectarit

pectarit fateretur obtinuiſſe? Nihil vos magis in opinione hominum principes oſtendit quam non oſtendiſſe: Ac dum familiaritate & alloquio omnes inuitatis, agnoſcere cœpit quiſque tanto plus ſe vobis debe res quanto minus id beneficij mereretur: & tanto vos quiſque ſublimiores putat, quanto vos vobis ipſis vultis eſſe inferiores. Ignota in hac Domo, & obſoleta ſunt Superbia & Arrogantia, & illa non tam exemplo aut metu quam natura deteſtamini; odioſa enim illa ciuibus, exitioſa principi, & citra vllius commodi aut vtilitatis emolumentum; certiſſimo vitæ famæque diſpendio periculoſa. Atque adeo ne ipſi illi ſuperiorum temporum magni viri, cum omnia ferrent in Regibus ſuperbiam tulerunt, & Tarquinium illum vitiis omnibus immerſum nullo potiori prætextu quam ſuperbiæ eiecerunt; Cæſarem quoque quem iam reapſe regem patiebantur, nomine non patiebantur, & hoc ſolum ad deſtituendum eum valuit, quod talis videri vellet potius quam eſſe. Vos nihil æque vnquam deteſtati, tam cenſeri boni a populo vultis, quam magni; & expectare honores iuuat, quam vindicare. Barbari ingenii mos eſt tuendæ autoritati palatii ſe cancellis circumſcribere, & æſtimationem magnitudinis a ſolitudine quærere: vbi non ſecus, ac ſi odium generi indixiſſent humano populos ne ad viſum quidem admittunt; & tum demum magnos ſe putant, cum ignotos: Ac ſiquando publico ſeſe credunt, ne tum quidem videri volunt cum videntur: Circumſtrepit ambitioſa phaleratorum cohors, & agmina peditum, equitumque circumuallantia aditum prohibent: ipſa illa regio apparatu ſubſellia, thenſæque, aut ſuperbi currus, & ambientia deſuper arcendo, cui parum inſueuerunt ſoli, vmbracula viſum quoque arcent.

Miſeri

Miſeri vero & miſerandi qui ſe non ſuis, ſed ſibi ſuos inuident; & poteſtatem ſui non tam populo, quam ſibi populi ſubducunt. Alia eſt noſtrorum principum mens, & aſpectum ſui omnibus non minus quam ſupremum illud ſydus dieſque largiuntur, nec principes eſſe ſe putant, niſi agnoſcantur. Te quoque, COSME, inter tuos verſantem nihil a nobis familiaribus, quam illa vultus tui maieſtas & noſter ſecretus pudor diſtinguit: Sermo ad nos non vt a potente, ſed vt ab amico; quem a principe eſſe ſola breuitas & concinnitas arguat: plus tibi prudentiæ quam ſermonis; & factis te, quam verbis oſtendis. Cultus quoque corporis ciuilis, non inceſſus ambitioſus, non ficta & operoſa maieſtas, non coactus corporis geſtus, ſed naturali decore compoſitus ſerio te principem nõ per vanitatem oſtentant. Aurum, gemmas, & reliqua operoſę ac prępoſteræ quæſita maieſtati, mulieribus relinquis; tibi tanquã viro, tanquã principi conuenientiorem virtutẽ laboremque arbitraris. Quas ſane tam eximias virtutes tuas tam erat damnoſum ſileri, quam vtile prædicari. Iam illa in patrem pietas, in matrem obſeruantia qui poterit dignis verbis circumſcribi? Sicut totum hunc mundum ſciebas admirabili ordine & ab vno capite regi, ſic in hoc compendioſo futuri tui Imperii orbe ordinem ita ſeruaſti, vt nihil placere tibi volueris niſi quod probaretur patri nec conceſſerit tibi ipſi quicquam, quod non prius ille: Imperare quippe diſcitur obediendo; & nulli felicius regunt, quam qui modeſtius paruerunt: non poteris non volentibus imperare, qui tam volens parueris. Nec vero alteri parere poſſes quam patri, cui velles; nec ille maiorem accipere eius beneficii, quod te talem genuerit, gratiam poterat, quam quod te videat obſequentem.

quentem. Cæteras virtutes tuas ſupra omnem humani ingenii conatum poſitas facilius erit admirati quam effari: Quis illam in ſpernendis voluptatibus conſtantiam, in vitanda luxuria continentiam, in damnando luxu abſtinentiam condignè laudauerit? In lubrico hoc adoleſcentiæ non corrumpi ætatis vitio; inter tot voluptatum illecebras voluptate non abduci; in ipſo luxuriæ aſpectu luxuriam deſpexiſſe; inter tot inuitantia vndique & blandientia vitia vitiis obuiam ire, cuius erat, niſi illius, quem tam ſibi ſimilem parentes, & qui ſe tam ſimilem parentibus præſtitit? Credatne aliquis, ſupra adoleſcentiam te fuiſſe cum nondum eam attigiſſes? & voluptates non laſſitudine, ſed magnitudine animi antequam experiri volueris contemſiſſe? Quo enim plus tibi licuit, libuit minus: & deſideria tua non libidine aut cupiditate ſed ciuium neceſsitate terminaſti. Alii per nocturnas commeſſationes per imminutiones virginum, per ſtupra, per adulteria fœminarum illuſtrium odioſa potentia agant: Tu quod maximum principem decebat non minus inuiolatas ciuium tuorum poſſeſsiones, quam tuam conſcientiam voluiſti: & leges non tam aliis ſcriptas putando quam tibi, non putaſti æquum, quæ in aliis peccata caſtigares in te reperiri. Tyrannorum iſta ſententia eſt; *æquius in ſumma fortuna, quod validius*; quam tu, vt exploſam tua, ſic exterminatam & eraſam omnium mentibus ſanctiori voce obduxiſti: *Videndum recturo non quantum poſſit, ſed quantum debeat*. O vocem omnibus doctorum calamis per omnes terrarum angulos celebrandam? Hoc eſt verè regem eſſe, cum poſsis dominari, nolle: & in maxima fortuna minimum licentiæ ſumere: plus proculdubio poteris, qui etiam quæ potes, non vis; & maius erit contem-

C   ſiſſe

ſiſſe quæ poſsis, quam feciſſe. Quid illi qui ex magna fortuna nihil præter licentiam vſurpant, non vident quanto plura licerent ſibi, ſi illa quæ licent, deferri potius ſibi paterentur, quam ſumerent. Tu non ſeruitutem tibi ciuium traditam dicis, ſed tutelam: & non tam ſupra omnes eſſe iuuat, quam pro omnibus. Data eſt enim tibi reſpublica, ſed & tu reipublicæ: & tantum abs te eius nomine exigetur, quantum tu exigere debebis ab illa. Promiſiſti vero iamdudum qualis erga ciues eſſe velis, cum illa qua maxime licebat ætate, illorũ iniurijs abſtinuiſti. Etenim vt mentem omni vitiorum contagio integram puramque, ſic corporis quoq; membra ſeruaſti; nihilq; maiori ſtudio affectatus es, quã nequid te vitioſi affectaretur. Hoc eſt verè fortem eſſe, illa ſpreuiſſe quibus fortiſsimi quique ſuccubuerint: & tam lubrica ætate vitia, ætatẽ ſpretis vitiis viciſſe. Alcidem nobis fabulæ referunt perdomitis monſtris æternitatem nominis cõſecutum; magis tam vtique meriturũ, ſi vitiorũ monſtra ſuperaſſet: ſed ille qui feras, & feris magis metuendos homines vicerat, ſe ipſum vincere non potuit; fœminæ ſeſe & imbelli mulierculæ emancipauit; & quem fortia quæque non terruerant, nullo labore vile ſcortum ſubegit. Tu viciſti iſta ſpernendo; vnoque hoc vt te maiorem hominibus, ita ferè parem Deo immortali præſtitiſti: in cuius tamen cultu tam es ardens, quam in tuos remiſſus; & quanta te nos obſeruantia, tantã tu Deum religione veneraris. Scis initia rerum omnium, ſcis incrementa ab eo proficiſci; & fruſtra eſſe conatus humanos quantumlibet altos ſi hoc pietatis & religionis lumine non adiuuentur. Non aliter ac vaſtus ille & horrendus Cyclops orbatus lumine ſuo in quæuis obſtantia impingit; ſic principalis illa & Regia poteſtas,

ſtas, luce pietatis deſtituta ad exigua quęlibet diſcrimina collabetur. Quemadmodum enim abſque acu directorra nautæ rectum tenere nequeant itineris curſum; non magis Imperii gubernacula vela potentiæ ſuę dirigant abſque religione. Recordaris proculdubio maiorum tuorum qui eius ſolius cauſſa ad ſacra litora expoſiti feliciſſimo victoriarum prouentu laudatiſſimas expeditiones decorarunt: Imitaris ſanctiſſimam Matrem, quæ nullo pietatis ac religionis officio prętermiſſo antiquum ac patrium Diuorum cultum ita in ſuis ſeruauit inuiolatum, vt plane iam citra controuerſiam ſit, exemplo magis fidem quam vi contineri. Nullæ illam curæ, nulla negotia a diuini cultus obſeruantia retardarunt; per hunc curas, per hunc negotia auſpicatur: per ſacra initiari, per ſacra abſoluere; a Deo incipere, a Deo finire, vnius illi & perpetui moris eſt: Eam tu matrem verè Auguſtam cum per omnia, tum maximè pietate repræſentas, nulloque eam magis imitaris quam quod Deum colendo Deo ſimul & hominibus placeas. Præclara ſane hæc & magnifica in perſona tam eminenti, & tam clara in magno principe quam rara: Quis enim fuit vnquam quem tantæ magnitudinis expectatio præcipitem non egerit? quem non traduxit tam ambitioſa ſpes, aut ſaltem abduxit? Tu virtutes natura exercuiſti, ſcientia ornaſti: quamq; tibi rerum omnium, reconditæq; naturæ ſublimitatem inenarrabilis animi vigor, & feliciſſimi ingenij lumen aperuerat earum tibi fidem confirmationemq; ab amęniſsima philoſophorum diſciplina petiuiſti. Nihil enim tibi deeſſe paſſus es quo teſtari te ſupra reliquos non nomine principis, ſed factis poſſis. Laudare ergo in te facilitatem ingenij, docilitatem, induſtriam, iniuria virtutum fuerit.

Quid enim ei difficile ſit diſcere, qui antequam didicerat iam docuerat exẽplo? Sec nec hoc eſſe te reliquis inferiorem conueniebat; cũ in te non quantũ ſatis eſt principi, ſed quantum ad abſolutum virtutis exemplar deſideratur requiramus: & noſtras de te ſpes non tua neceſſitate ſed naturæ viribus metuamur. Didiciſti ergo; ſed doctoribus ad ſpeciem vſus, te ipſum docuiſti: altiori & illuſtriori animo conceperas ea omnia quam illi explicarant; & iudicio tuo debes plus quam diſciplinæ. Non fregere tamen ſublimem ac generoſum animum tuum vmbratica illa diuerticula: ſed quemadmodum prævalidam ignis flamam olei quędam guttulæ: ſic animum tuum igneum ac prope diuinum fouerunt leuia hęc ſtudia, ſed cum iudicii tui fomento in maiorem mox gloriæ flamam ſurrectura. Tractaſti ſtudia non ſtudiorum cauſſa; ſed tanquam Imperaturus didiciſti quę iuuarent principem, non quæ detinerent: tam enim omnia ſcire damnoſum ſciebas quam nulla: & tam immorari iis inutile quam vtile delibare: Satis fuit, quod cum naturę beneficio fallere non velis, ſcientiæ falli non poſsis. Supra cæteros te magnitudo tua euexit, prudentia ſupra te ipſum. Adſidebis ergo prudens gubernator ipſe ad Imperiũ tui puppim; nec cogeris alienis audire auribus, cum iudicioſè pateant tuæ; non alienis videre oculis; cum prudentia ipſe tua poſsis retruſiſſima quęque penetrare. Cyrum legiſti dicere ſolitum, *Non conuenire cuiquam Imperium niſi qui melior eſſet iis quibus imperaret*: id tu ita pręſtitiſti, vt non numero tantum, ſed & virtutibus inter tuos primus & ſis & ęſtimeris; nihilque ignorare voluiſti quod ſciebas quemquam tuorum ſcire poſſe. Ergo ſicut gemmarum dignitas clarius elucet, cum auro ſuo conuenienter

ter incluſus eſt: ſic in te ſcientiarum illa artiumq; varietas, tanto maiori ſplendore terrarum orbem implebit quanto tu eris in ſublimiori Maieſtatis dignitatiſque ſede collocatus. tantumque abs te claritudinis accipient humanarum artiū ſtudia, quantum tu ab illis vtilitatis ita quibus tu tamen ita incubuiſti, vt ex iis nō tam doctior, quam tibi ipſi ſimilior fieres: ea enim ſelegiſti quæ erant naturæ tuæ congruentiora, hoc eſt, quæ pium, quæ caſtum, quę clementem, quæ rerum peritum oſtenderent, etiam dum facerent; eras enim iam talis a natura: nec expectandum aliud ab arte quā earundem virtutum clarior per hæc ſtudia laus. Addere his gymnaſticam, & alia ornamenta virtutum eius eſſet qui in te maiora non agnoſceret. Sed & in his tamen qualis ſis malo publico omnium teſtimonio, quam tenui mea voce prædicari vno verbo dicā quod ſentio, vbique princeps es. Illa enim quibus ſolis reliqui principem agunt, tibi ad inſtar remiſſionis ſunt; & ſolatia laborum, in labore quæris: modo aſcendere equos & in omnes giros modoſque verſare; modo luſtrare ſaltus, & ſuperatis mōtiū iugis, aut imas in valles demiſſus fallentia ferarum veſtigia perſequi, & non niſi cum cæde dimittere: adeo etiam ſubciſiuæ tuæ principem oſtentant. His artibus futurus Dux idoneus imbueris, ſuetus voluptatem ex iis capere ex quibus commodum: ſic locum caſtris legere, explorare ſitus, ſic audere, ſic ferire, ſic vincere diſcitur: nulloque a ſeriis tua ludicra ſeparantur quam quod hæc familiarius exerceas, illa ſeuerius? O beatum hoc ſeculum vbi virtutes omnes nihil deſiderant ad exemplum? excitaſti proculdubio ſpes iam languentes omnium, qui hoc pereuntis ac decliuis ſeculi defectu nihil aliud quam virtutis obliuionem augurabantur: erexiſti animos

cadentes

eadentes ac demiſſos, qui iam de præmijs pæne virtu-
tum deſperantes ibant ea per vitia acquiſitum: mutaſti
haut dubiè omnium ſtudia, & vt nequiorum conatus
fregiſti, ſic meliorum ſublcuaſti; nulloque validiori
argumento tuos emendas, quam quod ſis ipſe emen-
datiſsimus. Scis nimirum eo te faſtigio collocatum
vbi non magis tibi quam æterno illi lampadi qui orbẽ
terrarum alternatis vicibus illuſtrat, liceat latere: Er-
go vt orbis lumen a ſole, ſic a principe ciues accipiunt
mores. præſtabis tibi ſimilem rempublicam; & cum
ipſe bonus ſis, bonis imperare ſecundum erit. In-
tendet in te quiſque oculos, & prout te viderit, ſe eſ-
ſe conabitur: Tu recte faciendo, recte pręcipies:
exempla enim & acta dominantium leges ſunt: ma-
giſque in res eorum oculos quam in edicta habemus.
Talem ergo habebis rempub. quales ipſe eris; &
naturalis obſequii vi, qua alii in vitiorum, tui in vir
tutum tuarum imitamenta labentur. Quid hoc?
hæret in commemoratione laudum tantarum ani-
mus; & omnes ponere tua magnitudo, maximas
quaſque relinquere virium noſtrarum imbecillitas ſua
det. Adeſte mihi vos aui atauique, & beatitudini
veſtræ, quam vobis merita fecerunt, hoc gaudij adiun
gite, quod quibus vos Cœlum virtutibus merebami-
ni, earum ſemina terris in vberrimi fructus ſpem a ve-
ſtra poſteritate expectandam reliqueritis. Te voco
Magne COSME PATER PATRIAE, qui
magnitudini huic primus viam haut pænitendam ſtra-
uiſti; cum futuram illam domus tuæ magnitudinem
iam augurareris; cum tot triumphos tot ampla Impe-
rii ſpatia pręuideres, tantumne vnquam a ſpe tua tibi
promittere poteras, quantum nobis hodiernus dies
oſtendit? debent tibi multa nepotes tui, ſed tu plura

illis,

illis: acceperunt a te nobilitatem, ſed non degeneres illam præclare factis decorarunt: ad principatum tu viam patefeceras; illi in perpetuum muniuerunt. Te appello MAGNIFICE LAVRENTI, qui Italiæ totius Arbitrum cum ſolus ageres, & a cuius vita pax eius & ſecuritas pendebat, quis miretur tecum ſimul extinctam? Adeo non in morte tua tuum, ſed Italiæ totius funus dolemus; nec hominis exitum, ſed patriæ totius. Ecce de integro reſtauratus ſpes; ecce licet interuallo temporis excitatum tuum in conſeruanda patria conſilium; quod præmaturo tuo fato eò tantum videbatur concidiſſe, vt tanto maiori tua laude poſteri tui erigerent. Te fortiſſime IOANNES inuoco, qui antiquæ militię diſciplinæque laudem non tam ordine & arte, quam manu & virtute reuocaſti: cui etſi properata mors egregias ſpes, laudes tamen recidere non potuit: nihiloque minus te in animis hominum deſiderabilem opinio & expectatio virtutis quam exercitatio vtilem fecit. Vide tamen quantum orbi præſtiteris, qui ex te tam laudabilem progeniem, tam præclaram reliqueris poſteritatem; quæ quanto expectata minus, tanto magis accepta collabentibus Italiæ rebus reſtaurandis ſuccurrit. Te vero ter maxime COSME MAGNE DVX, te ſeorſim appello, Patrem ſimul patriæ & Principem: libertatemque ſimul & dominium miſcentem; recordare iam illius electionis tuæ, cum patres, cum populus intemperanter effuſi, adeo te inſtanter principem faciebant quam tu parum ambiebas: recordare iam publicæ lętitiæ, cum diſcuſſis ſub ipſo primordio potentiſsimis hoſtibus, qui non alio nomine in te ſurrexerant quam vt videret reſpub: quam merito rei ſummas detuliſſet ei a quo ſolo ſalus publica ſperaretur

triumphum

triumphum non tam tergis & manibus hominum ſublatus, quam animis & mentibus egiſti: meminiſſe libeat qua virtute MAGNI cognomen non tibi tantum ſed & poſteris merueris; quod cum arrogantia & temeritas principum per inhoneſtam ſuorum adulationem ſibi ſolet permittere, tibi ſummum illud quod vice Dei terris præſidet numen acclamante vniuerſo orbe largitum eſt: recordare, inquam horum omniũ, & ſimul nepotes tuos neutiquam degeneres intuere, & gaude quod cum multa abs te acceperunt, tibi tantundem reddiderunt. Te autem quem adoraſſe primum oportebat, te LEO DECIME PONTIFEX OPTIME MAXIME inuoco, dignare adhuc Diuus terras tuas, quas olim præſens tam eximio beatiſsimarum virtutum ornamento illuſtraſti, leui aliqua recordatione; & hanc dignam maieſtate tua poſteritatem & lauda ſimul & adiuua. Tu quoque BEATISSIME CLEMENS etſi cælum quod ſemper merebare, tarde obtinueris; puta te terris in hoc relictum, vt haberet familia tua quo ſeſe dignum tantis honoribus monſtraret. & tu præſens COSME, ad te enim, ad te, propriè pertinet oratio mea, hos magnos tuos & termaximos maiores, hunc auum, hunc atauum non tam magni nomine quam factis imitare: quod facere ſane nunquam non poteris ſi te tibi ipſi ſimilem eſſe vis. Nihil non expectatur abs te, qui iam ſic inceperis antequam iudicareris poſſe incipere; qui nihil mouendo tantum iam promouiſti; & quod vnum maximum iam fieri poterat, tali te connubio ornaſti. O Dii immortales? cur non tanta me eloquentia eſſe voluiſtis, vt quod hac de re ſentio, ita poſſim exprimere, vt mecum ſentiant omnes? At ſane quandoquidem fieri nequit vt

tam

tam felicem numinum coniunctionem verbis concipiam, cuius magnitudinem vix ſenſu quiſquam concepit; hoc ſaltem quod fieri poteſt indulgete mihi, vt quę dico non illuſtrando huic diei, quem ſatis ſuperque duplicata hęc ſydera illuminant, ſed a publica lætitia dicta eſſe videantur. Cuius enim eloquentia ſufficerit laudando, quorum laudes terra vix fuit capiendo? Cuius ora condignè prædicarint, quorum omnium paſſim ora non obſcurè fama impleuit? Cuius denique vel mens conceperit quos ſupra terrarum terminos victoria elatos, ſydera ipſa cæliquee receperunt? Tales enim tua COSME, pręſens hæc Diua maiores, tales propinquos, tales affines oſtentat: quos certè dicere qui velit magnæ eſſe confidentiæ oportet, quod audeat; facundiæ, quod poſſit. Nihil illa tamen in ſe minus vult prædicari quam maiores ſuos, & minimam ſuarum laudum partem putat hāc alienam. Suam illa animi nobilitatem, non illam a parentibus partam; ſuas illa virtutes, non familiæ; ſua decora non proauorum vult æſtimari; nihilque ſibi comune cum illis putat præter virtutem; ob reliqua neque debere ſe illis quicquam, nec ſe hoc nomine maiorem putat: Otioſas ac longas familiæ imagines oſtentare, eius ſit, qui nobilitatem non a ſuis ſed ab aliorum factis expectet: illi propoſitum fuit non ſibi familiam, ſed ſe familiæ oſtendere. Inuita tamen, velit, nolit, hoc oportet audiat; Deo proximam hanc progeniem eſſe. Si enim ſacris literis credimus, terrarum Deos Reges, quos voluerit ſupremus ille rector vices ſuas infra ſe obire, eoque ipſos ſuas ipſe imagines appellat: Atque ſi vnicum diuini amoris argumentum latè patentibus regnorum finibus augeri quænam erit in hoc orbe Auſtriaca domo Deo acce-

 ptior,

ptior, cui non tantum noti ſuperioribus ſeculis orbes, ſed noui quoque ignotique vltro in præſidium venerunt. Ac ſi vllis alijs artibus, clementia, bonitate, iuſtitia principes æterno illi & immenſo numini æquari certum fuit, hos certe liquet omnibus modis æquari, in quibus virtutes ſimul omnes vigent, quæ ſingulæ in omnibus prædicantur. Non ibo a ſumma vetuſtate repetitum tot magnanimos heroes quorum facta ſupra Oratorum eloquentiam & Annalium fidem ſunt: ille verè magnus IMPERATOR CAROLVS vnus inſtar omnium erit: qui quantum Chriſtianus orbis hoſtium, tantum ipſe triumphorum ac victoriarum oſtēdit: Cui nec inacceſſibilis ſolis ardor, non frigus Arcticum aut Septentrionis niues obſtitere, quominus imperij ſui terminos cum ſole clauderet. Non imperij intempeſtique Oceani iratum horridumq; murmur, non remotiſſimarum feritas gentium, Barbarorumque auſteritas cælo tam ſuo quam armis tuta deterruit, quominus ea Imperio teneret, quæ ne ab alijs quidem cognitione tenebantur. Subſidere montes, exaruere flumina, interceptum mare aduentu eius, nec quicquam non virtutibus eius ceſſit. Nullum horrida ſua præcipitia, nullum interfuſa vaſta maria, nullum flumina immenſa, nullum ſecreta ſyluarum defenderunt, quominus huius triumphis accederent. Iam Sauromatę, iam extremi Morini, iam Æthiops, iam Indus, intra Imperij huius terminos ſunt: & cum tot gentes armis, plures tamen clementia vicit: æmulum potentię Regem in prælium blandiente per ludibrium fortuna venire auſum tam facile captiuum abduxit, facile vt appareret temere feciſſe qui arma ferret in eum pro quo numina ipſa pugnarent: Coegit tamen vti illum clementia ſua; &

& cum

& cum magnificè cepiſſet, magnificentius dimiſit. Reliquæ nationes ſi non victę per ætatem, territæ per virtutem ſunt; omneſque ſeſe paratæ dedere, ſi illi ac cipiēdi fuiſſet tempus. ergo victorias ſuas cum morte finiuit, & ante materia vincendi & tempus, quam animus & potentia defuit. imo quod mirum, etiam nomen eius hodie apud Barbaros pro nobis pugnat: & cuius nos corpus, heù nimis certò citòque amiſimus, eius tamen memoriam hoſtes metumque non dum amiſerunt. Hunc illa talem tantumque heroa tua COSME, ſponſa, tua iam coniunx Auum oſtendit; nec vult videri oſtentaſſe: tibi enim talem ſe offert, qualem ſcit abs te iri receptum: non illi ad ſuperbiam, non ad arrogantiam facit tam illuſtres titulos præterre; omnis illi ambitio in amore tui eſt. in hoc ſolo ſe iactat; hoc ſolo magnificè ſeſe effert: quod cum in multis concedat tibi, in amore neutiquam concedit; hunc illa eſſe vult proprium ſuum. Cætera quibus longè præferri reliquis poterat, hoc magis admiranda nobis relinquit quod non agnoſcat: & dum toti in eius contemplatione ſtupeſcimus, videmus nullo ſe magis probare Auguſtam, quam quod exigua putando ea quæ hactenus in illa ſumus admirati, cogamur de futuris omnia excelſiora, omnia auguſtiora credere. Perſuaſeram mihi iam olim, tibi ad abſolutam felicitatem nihil deeſſe; nec vero quicquam deerat quod nobis videretur: tandem didicimus addi etiam aliquid poſſe, ſed non niſi ab illa: reliquum enim erat vt is adhuc tuæ magnitudini cumulus accederet; vt non tantum Auguſtam & Auſtriacam haberes, ſed vt illam, in quo ſumma deſideriorum tuorum perficeretur. Id enim vincum nobis apud ſuperos benemerentibus relinquatur pietate per-

frui voluptate: eàm tu quo ſecurius credas te manere, iam in complexu huius cæpiſti deguſtare: Multum me puto dixiſſe; ſed vbi cæleſtis illius ſyderis vigorem qui aciem omnium radiorum ſuorum claritate obtundit, intueor, Deus bone, quam parum dixi, aut quantum adhuc cogitatione abſum ab illa quam præfert, diuinitate. Quid ergo prius admirer? Angelicam ne vultus modeſtiam, illam cæleſtem oculorum pulchritudinem; An admirādam frontis maieſtatem, & totius corporis emendatiſſimam compoſitionem? O quam decoram, quam pulcram, quam idoneam ſedem virtutes elegerunt, in qua perpetuo omnes velut in familiariſſimo gratiarum contubernio habitarent. Ades, Ades C O S M E, incipe frui expectatiſſimo huius conſortio, illamque pari animi propenſione complectere: incipe in huius ſinu gaudia tua cogitationeſque deponere, nuſquā illarum portus ſecurior, nuſquā certior quies. Erit tibi cogitandum quomodo ciues aliquando tuos amore & beneuolentia quam Imperio adiungas, illa tibi aderit, docebitque quam male Imperari amor poſſit: Erit tibi cogitandum quo modo maiorum tuorum famam, tuis quoque factis tueare, illa non deerit; & nihil tibi humile aut abiectum, ſed altum ac ſublime qualis natura eius eſt, monſtrabit: Erit depellendus aut debellandus hoſtis; creſcet huius fomentis animus, & tunc amor & verecundia faciet, quod factura erat audacia tua. per hæc amori veſtro peruigilium fiet. Egregio mehercle naturarum conſenſu, cum ad expetendum aliquid non alia tibi cauſſa erit, quam quod ipſa expetierit; & illa placere ſibi nihil volet, niſi quod videat tibi. Nō poterit admitti in concordes hos virtutibus animos Diſcordia, quos non tam mutua fides aut nuptiale: ſacrum,

crum,

crum, quam virtutum paritas conciliauit. Nihil ergo tibi ſupereſt ad abſolutam felicitatem quam velle agnoſcere, velle frui: quod tu tamen ita facies, vt ſcias nos non minus ex tua felicitate gaudij, quam te ex diuiniſſimo huius contubernio voluptatis capturum. Habetis glorioſiſſimum patrem, cuius opera curaque effectum eſt, vt non minus ſecurè hæc facere poſsitis, quam libenter. Habetis generoſiſsimam matrem quæ tam admirando, quam parum imitando exemplo feliciſſimas imperio manus adhibendo; ſuo labore veſtra gaudia, ſuis curis veſtram ſecuritatem, ſuis vigilijs veſtros ſomnos defendet. Illi collatis operis talem vobis præſtabunt rempub: qualem & nunc laudare & ſemper optare poteſtis: eoque nomine haut parum illis debetis quod in lætantem populum lætitia veſtra inciderit; eoque maior eſſe veſtra debet, quod publica ſit. nunquam enim felicior huius populi ſtatus. nunquam ſecurior, nunquam omni bonorum genere opulentior fuit. quidni enim ſit? vbi magis laborāt principes quid populo conducat, quam quid ſibi: ſibi enim bene eſſe putant tunc, cum illi. Quemadmodum meteora illa & ſublimia ſempiterno ſuo motu & agitatione nunquam fatigantur, ſed indefeſſa vertigo cęlum ſolumque incorruptibili meatu rotat: ſic magni noſtri principes pro ſolatijs reipublicæ, pro bono ciuium nullas licet magni ponderis curas reformidāt: & tuendę conſeruandæque publicæ ſaluti non magis fatigantur, quam ingens illud ſolis ſydus orbi terrarum illuminando. Natos enim ſe non ſua, ſed ſuorum cauſſa exiſtimant; nec principes eſſe ſe putant, niſi probent. Profunda intus & perpetua pax; foris laceſſitus hoſtis: gloriæ hoc, illud ſecuritati. Ciuitates, vrbes, oppida, non tam præſidio militum quam amore ciuiū

munita:

munita: conſcripta per legiones militia, vicinorum ambitioni coercendę. potentiſſimus interim Chriſtiani nominis hoſtis bello tentatur: maria claſſibus ſtrata, ac qua patent metu impleta: cum nouo hoſte nouæ quotidie victoriæ: quę cum omnes admiremur, illos tamen intuentes videmus quanto maiora geri poſſint ab ijs, quibus hæc velut animi cauſſa, & exercendę iuuentuti geruntur; quique victoriis docent, magis poſſe ſe vincere, quam velle. Ergo hęc non ipſi, ſed per ſuos gerunt: nec ex dignitate ſua putant alijs præſidijs ſe pręſtare præſentes: niſi quę fieri non poſſunt abſentibus. Nam & ſtare pro ſignis, agere excubias, locum caſtris capere, & eundem munire, prælio adeſſe primus, poſtremus exire, tuorum iſta, FERDINANDE, Ducum laus; tua, talibus imperare: nec enim militem tantum conueniebat agere eum, qui militibus præeſſet. pugnant illi non ſolum ſub ſignis, ſed & ſub imperio tuo: tua ſecum conſilia, tua iuſſa efferunt, etſi non a te ipſum. Vidimus claſſes illas tuas nullum tempeſtatis iratique maris impetum metuentes, totum vicini freti ſinum terruiſſe: Vidimus publici hoſtis exuuias cum tot prouinciarum ſpolijs tuis triumphis accedere: Vidimus inter vinctorum catenas, captiuorum compedes, lamenta hoſtium, amicorum gratulationes pari inuidia prolatas cælum ſolumque implere. Vidimus te non tam deleto hoſte, quam gaudio ac ſalute tuorum lętum: maiorem triumphum ex depulſo tuorum metu, quam inimici cæde expectaſſe. & quid mirum? habes viros omnium ætatum feliciſſimos, fortiſſimos, prudentiſſimos: in eligendis enim ducibus non tam fortunam quam virtutem ſpectas: eoſque non ex amicorum comendatione ſed meritorum, rerumque præclare geſtarum præpondera-

tione

tione aſſumis. Habes clariſſimum & militari laude flo-
rentiſsimum Siluium Piccolomineum cui armorum
peritiam non tam ętas & experientia quam indefeſſus
labos & perpetuus victoriarum prouentus dedere cui-
que ſolius iniuria temporis & occaſionum defe-
ctus obſtitere; quo minus Annibales, Scipiones, Fabios
æquaret: dicet me tacente Belgium, dicet Pan-
nonia, dicent expugnatæ tot vrbes, & nuperrime IP-
PONA, quanto in eligendo tanto viro iudicio, in
vtendo conſilio vſus ſis. Vnum etiam hoc inter feli-
citatis adiumenta neceſſe eſt fatearis non mediocriter
adiuuiſſe, quod magnanimæ vxoris tuæ conſenſu &
virtute non labefactatas aut concuſſas tuas ſpes, ſed pa-
ri animi fortitudine confirmatas vidiſti; quæ inaudita
hactenus animi magnitudine inſtructis ſuperbè naui-
bus, lectiſſimiſque veteranorum militum copijs addu-
ctis hoſtem ſimul fortunamque prouocauit: docuitq;
non ſexui, non conditioni virtutem præcluſam, ſed
eam fæminas tanto maiori laude, quanto rariori exem-
plo affectari. Abeant Semiramides, Abeant Liuiæ, &
quotquot coniugum curas, conſilio, arte, manu, ſu-
bleuarunt: vna hæc Herois non adiutricem ſe MA-
GNO DVCI ſed ſociam præſtitit; incertumq; in
tanta paritate virtutum, illa coniugis, an illius exem-
plo coniux tam præclara euaſerit: ergo paria
vtroſque ciuium vota, par hoſtium metus aſſequi-
tur: vnumque ſimul duobus his euenit, amari ſi-
mul, ſimul timeri. Omnia enim hęc ita geſſerunt
vt ex ijs populus nihil ſenſerit præter gaudium: nul-
lo ad ea cenſu, nullo vectigali premitur: Nollent
enim ſibi permittere quicquam, quod populo gra-
ue eſſet; nec hoſtes ſibi facere ciues ſuos, vt ex-
pugnent alienos. Illi nimirum quibus maxima felici-

 tas,

tas, ſuos feciſſe fælices: & qui nihil impenſius amant, quam amari a ſuis: quippe qui ita ſeſe compararunt, vt diuinitus conſtitutum imperium, diuina quoque prudentia conſeruetur; nomenque ſuum vt tremendum hoſtibus, ita venerabile ciuibus prȩſtitere; eoque omnia ſua conſilia, omnium cogitationum rationes ad populi comoda, non ſuas ad libidines dirigendo, officioſas eius functiones non poteſtate & vi, ſed ſapientia & moderatione emerentur. Inaudita hic & nulla quæ alibi tam frequentia, vt quidam non niſi per hæc ſe principes agnoſcant, bonorum publicationes, diminutiones capitis, vita ȩre taxata, euoluti patrimonijs ciues, exuti trabeis conſulares, redactæ ad numerum dignitates & proſtitutæ: non hic planctus aut lamenta miſerorum publica aut priuata; non nubilȩ & atratȩ menſes male celatos metus ſuſpirio produnt: ſed ſicut in clementiſſimo aere ſanæ vrbes, ſic ſub clementiſſimo horum dominio ſana omnia membra. auctæ municipibus ciuitates, impleti cultoribus agri, oppida mercatoribus ditata, ciues paſſim opibus graues. nec enim hi, velut Cyclops ille qui quicquid vndique ad fretum ſuum appulerat indegeſta ſiti fameque deuorabat, ciuium ſpolijs ſociorumque lȩtantur; ſed ſua relinquunt ſuis, vt ſua ſunt omnia; nec enim opes vllas ſuas putant niſi publicas. Grypos illos & Lauerniones non audiũt qui prȩdam eorum nomine extortam in ſinum ſuum conferant: qui nouis quotidie exactionum nominibus centeſimarum, quadrageſimarum, decimarum, Columniariorum, hoſtiariorum infælicíſsimæ plebis pennas ita incidant, vt nequeant renaſci. Sed quemadmodum magnus ille Oceanus quas e terris aquas per pronos fluminum decurſus in ſe recipit, eas

eiſdem

eiſdem per pluuias remetitur: Sic quicquid delatum a populo in principes, in populum repartiuntur: vnicum enim gaudium, populum videre gaudentem. Durum eſt poſſidere aurum illud quod ægre a pereuntibus per violentiam expreſſum tot miſerorum lacrimæ abluerunt; quod è ceruicibus iugulisque cæſorum potius, quam è montium venis, aut fluminum glareis effoſſum eſt. Deteſtanda illa Tyrannorum inſatiabilis rabies, qui poſſidere ſe nihil putant, ſi non omnia: ipſa etiam charybde plus horrendi; quę cum plena nauigia ſorbuerit, fragmina tamen tabulaſque litoribus exponit, illorum vorago nullas reliquias reuomit. præpoſtero mehercle auiditatis errore; qui enim ſit diues princeps pauperis reipublicę? & cum inter proſcriptiones cædeſque ſæuiatur; cui non tranſeat in vota paupertas, ſi durius ſit poſſidere multa, quam nihil? Tu domum tuam, FERDINANDE Princeps, non vt ferarum catulos, ſanguine & cædibus nutriri, ſed cum communem te tuis, ciuibuſque patrem pręſtiteris, vis tuos amore ciuium, ciues tuorum reuerentia geſtire; nihilque apud eos magis timere viſus es, quam timeri: Scis enim cum timearis, etiam tibi timendum: fieri enim non poteſt vt qui formidabilis ſit ciuibus, ad eum quoque formido non recidat. Eſt enim male dominantium principum ſupplicium, timor: & quales ipſi in ſuos ſunt, tales eos in ſe metuunt. Te ſecurum pręſtitit amabilitas tua, amabilem ſecuritas. Comitantur te excubię; ſed in ſpeciem, non in terrorem: miles circumfuſus latera defendit, ſed ornamento tantum: obſidentur præſidio vrbes arceſque; ſed defendendo ciuibus non nocendo: parere enim tuos vis, non ſeruire: ſcis ni-

mirum quanto magis placendo obtineatur, quam cogendo; & prouocari comitate officia, arrogantia deſtrui. indulgeri ea ſibi putat populus & pro munere habet, quæ e potentia princeps remittit: & dum quæ poteſt non vult, fit vt plura quoque poſſit. Iam in Iuſtitia, Deus bone, qualis es? incertum clementior, an iuſtior; æquior an facilior: non emuntur hic magiſtratus, vt vendantur; non perfidia iudicum corruptæ leges, cum liber cuiuis ad te recurſus ſit: non fori illa tabes quæ alibi fortunas miſerandorum ciuium exedit, non canina ſtudia, & conceſſa aduocatorum latrocinia, & forum, vt ita dicam muricibus ſtratum: ſed promtus ad principem aditus, facilem vbique breuemque cauſarum diductionem ſuppeditat. nec tamen legibus, ſed clementia certas. langui da & tarda in puniendo manus; celer in ignoſcendo: hoc vno fere dixeram te Deo ęquas, quod hic vitam dat hominibus, tu conſeruas: metum enim non apud tuos, ſed apud hoſtes quæris. nec tam ſupplicijs, quam beneficiis ingenia tuorum experiri placuit. Securius certiuſque viſum remedium, oſtendere bonos, quam facere; & pati tales eſſe vltro, quam cogere. Sæpius committuntur quæ ſepius vindicantur; & prępoſtero naturæ vitio arbores crebro reciſæ, fręquentius repullulant: tollendo vitia, vitia augentur; quæ diſſimulando ſubcidi poſſe ſecurius tua clementia docuit: Medicum non funera aut mortes, ſed reſtituta ſanitas & in integrum reducta commendat: adeo principem non continuæ cædes aut ſupplicia, ſed pauci ciuium errores, & emendati potius ciuitatis mores quam puniti extollent. impedire enim præſtat peccata quam vindicare. Tibi quod fieri ra-

ro ſolet, ſi ſeuero eſſe fuit neceſſe, vt maximorum ſcelerum vim tenui animaduerſione reſcinderes, quam lentus, quam dolens, quam inuitus, non dico ad cædem, ſed ad pęnam acceſſiſti? quam ſæpe excepta illa vox, *periturum te potius quam perditurum:* maluiſti ſanare vitioſas partes, quam exſecare: & nunquam abs te vlla facta animaduerſio niſi cum publico expediret, vt velut piaculares publici odij victimas dares, nec vnum aliquem punires, niſi ſeruandis pluribus. Ergo PATREM te PATRIAE antiquo familiæ cognomento, non tam publicæ inſcriptiones aut inciſa marmora, quam vota populi prędicant: quod tu tamen nomen hoc potiſſimum meruiſti, quod ne arctari annona poſſit, prouideris; & populo tuo ſaturitatem, toti Italiæ abundātiam induxeris: hoc eſt vere ſe patriæ parentem oſtendere non regere tantū populum, ſed & paſcere. Fruſtra armis iniurias hoſtiū depuleris; fruſtra mænia vrbiū milite obſederis; fruſtra præſidio limites munieris. ſi intus bellū ab inedia ſit; ſi internum hunc hoſtem alueris, quouis externo crudeliorem: ille enim fortunas, hic vitam impetit: nec tam ſęuus aut terribilis vllus armorum ſonitus, vllus tubarum clangor, vllus gladiorum ferriq; ſtridor, quam lamenta hæc vulgi plebiſque miſerandus ab ieiuno ventre eiulatus. Erat proculdubio Pompeio glorioſum hoſtem terra marique exegiſſe, ſed nihil glorioſius quam affluentia populi & fames depulſa: illo augmentum Imperio dederat, hoc ciuibus ſalutem. Et tibi igitur quæ erit digna tanto operi laurea quis triumphis ſuffecerit, qui a mari Baltico, ab extrema Thule litora omnia, omnia maria peruia feciſti. qui mare tuum Tyrrhenum Oceano, Oceanum Ar-

ctico & Glaciali miſcuiſti; qui benigniſſimos portus tuos omnibus aperuiſti, in quos ſeſe confluentes vndequaquè naues infunderent. Eat nunc Sicilia, & Italiæ ſe laboranti ſuccurrere ſolam poſſe iactet, ventoſoque & inſolēti ſupercilio clamet in manibus ſuis famem abundantiamque viciniæ eſſe: tibi oſtenſum quomodo totus terrarum orbis mutuo poſſit commercio coniungi; & neceſſitatem non vnius loci eſſe cuius nauibus omnia litora, omnes portus pateant. Tua Batauis, Anglis, Gallis, accerſitis leuiſſimo impendio meſsibus horrea omnia impleuiſti, adeo vt & refundas Siciliæ ſuas copias, & affundas nouas. plura tibi etiam quam cælo debentur, cuius vitio cum mendaces fundi vbertatem quam ſpondent non remetiuntur, a te ſolò ſubſidium eſt; qui vt tempus, vt neceſſitas poſtulat transfers referſque annonam vt lubet: ita vt ſterilitatem a cælo quidem metuāt; per te corrigāt. Neſcit iam vicina omnis regio a multis annis quid ſit infelix annus: & famem nullus vltra timet, quia non ſentit: fallacem enim annorum fidem tua ſolum induſtria correxit. Explicuiſti in curam hanc tuum illum commodiſsimum ampliſsimumq; portum L I B V R-N V M, qui ſe adeo ad miraculum te regnante extulit, vt nulli ſimilis ſit niſi ſibi ipſi. Omitto quot ille ro ſtratis puppibus, quot triremibus, quot onerarijs nauibus occupetur; vnum hoc quod mirum eſt, dicam, non, vt reliquę vrbes, per ſecula auctum, ſed vno pæne momento in eam quam miramur magnitudinem ſurrexiſſe: hoc vero ſolius erat tui. condant alij ſuperbas domos, & non viuis tantum ſibi ambitioſa habitacula ſed & mortuis erigant; dummodo palatia & arces conſtruant alij, tu totas vrbes. Nec vero vrbem tantum

domibus

domibus ſed & ciuibus impleſti. Incepit iam habere vicinia potentia cui inuideat. Sed tibi quoque prouiſum vt tantum inuidere poſsit. prę ſidio militum, tutam nouam vrbem, & ad quemuis impetum patentem eſſe voluiſti. Qui hæc tam magna conſiderat, facile ſibi apud animum proponat qualis in reliquis ſis, qui vt vbique te magnum Principem oſtendas pręeſſe tantarum rerum adminiſtrationi non pateris niſi magnos: recepiſti in adminicula dominij viros conſilijs, prudentia, literis claros, qui curis ſecundis tam glorioſè prę ſunt quam tu primis: Vnicum quippe magni Principis argumentum, magni miniſtri; nec ſatis vnum aliquem in Imperio magnum, ſed multos. quos tu tam admirabili prudentia elegiſti vt Aulam tuam licentioſis libertorum monſtris purgatam ſapientum conſeſſui ſimilem reddideris. Ergo quemadmodū priſci illi domitores orbis Romani petere auſpicia ab Hetruria ſolent, ſic adhuc nondum intermiſſa probiſsima conſuetudine, totius Italiæ primates animum ad tua conſilia velut ad oraculum intendunt. dum enim primę te & grauiores curę diſtinent, de partiris ſecundas in eos quos ſcis tui ſimillimos: hi ſunt oculi principis, hi aures per quos videt auditque, quæ penetrare ipſe citra maieſtatis ſuæ iniuriam non poſſit. Iudicio itaque & prudentię tuæ hoc quoque tribuatur, quod elegeris prudentes: ſed nominatim vnum illum Hetruſcum grauem & ſapientem virum, qui incertum moderatione maior an prudentia, tibi ſimul ſatisfacit & omnibus; vnaq; opera iuſſa principis & diuerſas populi ſpes implet: quemq; tu feliciſsimè ſelegiſti vt tibi velut Alexandro Hephæſtio, Auguſto Mæcenas maximam tanti oneris partem Atlanteis humeris ſuffulciret. Quibus equidem omnibus factum

 eſt

eſt vt anguſtum illud MAGNI DVCIS cognomen quod paternæ virtutes dederant, tuæ tibi confirmarint; confirmarint, inquam: heu exilem & humilem pro tanta magnitudine cogitationem? cum tu id nominis tanto virtutum merito antecesseris, vt cum patris id præclarè geſtis datum conuenienter conſenſus terrarum orbis agnoſcat, incipiat iam cogitare, quo nouo nomine quo titulo nouæ tuæ virtutes condignè poſsint decorari; qui vt Ducum omnium terminos prætergreſſus, ita Regij faſtigij poteſtatem factaque æquaſti; qui omnia quo ſe Regia ambitio oſtentat quam maxime Regiè præſtitiſti. Arma contemplari libet, & militiæ robur, quis erit Regum (magnum illum Monarcham regemque dominantium excipio cuius vires citra terminos ſunt) cuius tu non vires aut æques aut ſuperes? qui arma tua tanto ordine, tanta diſciplina, tanto numero, tanta præſtantia, paraſti, conſtituiſti, diduxiſti: militiam per legiones antiquum in morem è domeſtico milite diſtribuiſti: pluſque armatorum vna Hetruria, quam vicina omnis regio hominum habet. Opes conſiderare libeat & pecuniæ vim: eas quoque non oppreſſione ciuium, ſed tua parcimonia & hoſtium ſpoliis quæſitas ad ingruentem bellorum neceſſitatem, tanquam neruos Imperij, ſepoſuiſti. ſciebas quippe non leue in iis momentum; parere his omnia, nec ſine his imperari. Libeat res geſtas & victoriarum titulos explicare; pudebit alios reges, pudebit, publicum Chriſtiani nominis hoſtem abs te ſolo laceſſiri; & cuius illi iniurias pudenda & infami pacis tolerantia nutriunt, eum noſtris paſſim litoribus ſolo tuo metu prohiberi; & inuitis te omnibus tot illi qnotidie ſpolia, tot vrbes

tot

tot victorias eripere. Libeat ęſtimare contractas cum Regibus amicitias, matrimonia ſociata, mutua officiorum commercia; quis omnium tantis ſe iactabit affinitatibus ſubnixum vt vno ordine Hiſpaniarum & totius pæne orbis dominum, vt Romanum Imperatorem, vt Galliæ, vt Poloniæ Reges, vt maximos quoſque orbis principes poſsit oſtendere? Ergo omnino & meritiſsimo Regium tibi nomen acta tua fecerunt etſi modeſtia declinauit; & tacita te talē omnium vota, etſi non adhuc tituli loquuntur. Rependet tibi poſteritas temporis longioris impendio iſtas laudes, quibus ſola hæc ętas noſtra tribuendis non ſufficiat: & Annalium te Hiſtoriarumque monumenta talem celebrabunt, qualem te non cognomina tua ſed merita extulerunt. Te quoque AVGVSTISSIMA DOMINA fas mihi, fas, licet exili nimis & diſpari tantæ maieſtati oratione compellare: cum in ſocietatem tot laborum cum coniuge veneris: æquum etiam eſt in laudum communionem admitti, etſi ſane nihil de marito dici poteſt, quod non item dicatur abs te; nihilque ſeorſim de illo cogitari, quin de te ſimul cogitetur: Omnium enim tu curarum, omnium rerum geſtarum, omnium bellorum, omnium, victoriarum, omnium triumphorum ſocia & adiutrix extitiſti: tantoque omnia ea in celſitudine tua admirabilius eluxerunt, quanto inſolita ſexus tui conſuetudine rariora. Adſis, Adſis tu paternarum & maternarum virtutum, ſic vt dominii hæres, Sereniſſime COSME, & me vtriuſque laudum oneri ſuccumbentem, amæniſsimo tuarum virtutum vmbraculo ſuſtenta; vt cum omnes in prædicandis ijs ſimus inferiores, tu doce quanti illi ſint principes,

qui ſint tanti principis parentes. Veni, veni ergo exoptate ciuibus, expectate patriæ tuæ, & per veſtigia paterna ſic incede, vt virtutum ordo nihil mutaſſe videatur præter perſonam: Veniat tua tecum deſideratiſsima coniunx, quæ magnum tuæ gloriæ incrementum, vt tu illam, ſic illa rempub: amplectetur; & per tot virtutum exempla cæleſti paſſu ad æternam illam beatitudinem gradiemini. Habebitis ante oculos AVSTRIACAM Domum, ſed vt ſingularem & nunquam ſuo pręmio carentem pietatem imitemini. Habebitis MEDICAEAM, ſed vt fortitudine augeamini. Habebitis LOTHARINGICAM; vt ęquetis ſanctimoniam. Erit vobis ante oculos potentiſsimus HISPANIARVM REX, cuius ſub magnitudinis præſidio ſciatis nihil vobis licere niſi magnum. Erit IMPERATOR, cuius ſub maieſtatis conſpectu, maieſtatem vobis memineritis defendendam. Erit GALLIAE REGINA, cuius memoria excitabimini quantum pręſtandum vobis ſit vt nec tituli vobis nec progenies mentiatur. Erunt tot reges & principes affinitate coniuncti, vt non tam freti illorum ſubſidiis, quam virtutum veſtrarum præſidio nitamini. Erunt denique omnium in vos oculi & ora conuerſa, quę nihil in vobis niſi ſublime & excelſum & tantis affinitatibus dignum augurabuntur. Incipite, incipite implere jam ſpes omnium, noſtras quoque ſuperare. Accingite vos capeſſendis habenis illius reipublicæ quę vobis gratior eſſe non poteſt quam vos illi; & cui vos imperare indulgentius nequitis, quam illi libenter obedire. Præparate vos jam agendis illis triumphis ad quos non tam paterna exempla, quam labentis & laborantis

borantis fidei neceſsitas vocat. Expectat vos Orientis Tyrannus, & ſpolijs quam armis ditior amplam victorijs veſtris materiem oſtendit. Manet vos recuperanda illa propria familiæ maternæ laus Sanctiſsimæ vrbis & CHRISTI ſupremi numinis noſtri monumentorum expugnatio. Vocat vos imminens mari veſtro Barbarus iam tot victorijs veſtris doctus poſſe debellari; & fortuna magis ac Chriſtianorũ diſcordia, quam ſuis armis defenſus. Videor iam videre militantes ſub ſanctiſsimę Crucis ſigno manus obuios quoſque hoſtes, obſtãtia quæq; menia proſternere. Videor iam videre diſcuſſas debellataſque hoſtiũ cateruas hac fuga ſalutẽ quęrere, illac defeſſa tyrranide colla catenis tuis iuga ſubmittere. Videor iam videre Tyrannorum vinctas poſt terga manus & faſtuoſa ſupercilia humo demiſſa triumphos tuos decorare. Videor iam videre illum exultantis populi, illum ſplendidæ nobilitatis occurſum, teque inter conſpicuos purpura ſenatores, inter reuerendos patres, ſacerdoteſque, vocibus pariter humeriſque ſublatum. Videor iam videre illas portas arcubus coronatas, tectas coronis, poſtes, plateas aulęis ſtratas, accenſiſque fanalibus duplicatum diem, & effuſam in publicam congratulantium turbam, matrum, virginum, puerorum, ſenum publica vota ſequentium: te denique COSME non tam de hoſtium victoria quam de propagatis religionis terminis triumphantem. Salue, ſalue Princeps, & tu MARIA AVGVSTA ſalue: & iam geſtientis veſtri populi ſpem, & exultantis implete. Viuite concordes, viuite æternum; viuite vobis; viuite ciuibus: veſtris & nepotes pronepoteſq; ſalui ac ſoſpites, ſimulque æternam Rempublicam videte.

Vos

Vos quoque ciues HETRVSCI gaudete exſultate, lætamini; & qualē hodiernum diem quem lætitia impleuiſtis; tales reliquos vitæ veſtræ futuros his imperantibus credite: ac eos non tam liberorum ſuorum parentes putate fore, quam veſtros. eaque vos vobiſmetipſis veſtriſque precari exiſtimate, quæ pro iis precabimini. Te vero DEVS OPT. MAX. qui omnino te familiæ huius tutorem, defenſoremque monſtraſti, te omni contentione præcor atque obſecro, vt qua domum hanc felicitate ad eam quam meretur magnitudinem promouiſti, in ea in æternum conſeruare digneris, vt non tam eos ſuæ domus augmento, quam ſanctiſsimæ religionis defenſioni produxiſſe videaris.

DIXI.

GRATIAS TIBI DOMINE IESV.

99 957384

xxii

1049. 2
Z

1049. 2

XXIV

1049 2